







CASPARI BARTHOLINI
THOM. F.

ORATIO JUBILÆA

De

Gestis Anni LXXVII
Prioris & currentis Seculi,

AD

AUGUSTISSIMUM DANORUM MONARCHAM

CHRISTIANUM QVINTUM.



HAFNIÆ, Typis VIDUÆ Georg. Gödiani Reg. & Acad. Typ.
PROSTAT apud PETRUM HAUBOLD. Acad. Bibl.
ANNO MDCLXXVII.

Oſtendit in hac oratione honoratiſſimus Dn. Collega locuples ingenium, eruditionem variam, ſed præſertim in Patriam, Patriæq́; Patrem, & Auguſtum ejus avum, pietatem. Dab. Hafniæ 26. Nov. Anni 1677.

OLAUS BORRICHIUS.

AUGUSTISSIME REX,
DOMINE CLEMENTISSIME,

NOn gloriosius calamum, publica authoritate provocatum, occupare potui, qvàm in Regis mei laudes & rerum hoc anno fortiter gestarum commemorationem. Auspicatò mihi jam primum in patriam gressus referenti, injunctæ sunt dicendi partes ut Acta Anni hujus secularis in Ecclesia, ex more Academiæ nostræ, oratione Jubilæa solenniter prosequerer. Commoda usus oc-

casione, ab Augusto nostro feliciter perpetrata silentio involvere nec volui, nec debui. Hic prioris seculi Annus nativitate Divi *Christiani Qvarti* nobilitatur. Idem præsentis seculi, masculæ fortitudinis Tuæ, *Christiane Qvinte*, monumentis inclarescit, qvi tot hostilia arma detracta victis, tot parta bello spolia ostendit. Fortunæ Tuæ adscribimus felicem ab expeditione nupera reditum inter tantas maris impetuosi minas & tot pericula tempestatum. Læti Te omnes salvum aspi-

aſpicimus. Deus Te ſervet porrò. Felicitas Tua dat nobis ſalutem & civicam meretur. Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriusqve eſt, qvam illa corona: *ob cives ſervatos*. Pro Te nos ſtabimus, pro Te pugnabimus, pro Te uno tot legiones in aciem deducentur, & adverſa vulneribus pectora ferent, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur.

Tu vinculum es, *Auguſte*, per qvod omnes cohæremus, Tu ſpiritus vitalis, qvem tot

mil-

millia trahunt. Omnibus nunc civibus Tuis & hæc confessio exprimitur, esse felices, & illa, nihil jam his accedere bonis posse, nisi ut perpetua sint.

Scripsi Hafniæ Cal. Decembr. 1677.

MAJESTATI TUÆ

SUBJECTISSIMUS

CASP. BARTHOLINUS TH. F.

RE-

RECTOR
REGIÆ ACADEMIÆ HAFNIENSIS
D. WILHELMUS WORM
MEDIC. ET PHYSIC. P.P.
CUM PATRIBUS ACADEMIÆ CONSCRIPTIS
QVOD FELIX FAUSTUMQVE SIT
AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTIS-
SIMI HEROIS
DN. FRIDERICI COMITIS
AB AHLEFELD
MAGNI REGIS CANCELLARII ET ACAD.
PATRONI OPTIMI, &c.
LABENTEM ANTEACTI SECULI ANNUM
FELICI SIDERE RENASCENTEM
ORATIONE JUBILÆA
PER
CASPARUM BARTHOLINUM
THOM. FIL.
MED. ET ANATOM. P.P.
EA DICENDI FACULTATE
QVAM
VEL VIRES ORATORIS NOVI
VEL RECENTES PEREGRINATIONUM MOLESTIÆ FERUNT
PUB-

PUBLICE SOLENNITERQUE CELEBRATURUS
UT SECULARI HOC ANNO
QVÆ
VEL EODEM SECULI PRIORIS IN ECCLESIA ACTA
VEL HOC SECULI PRÆSENTIS IN PATRIA NOSTRA
SUB AUSPICIIS AUGUSTI NOSTRI
FELICITER PERPETRATA SUNT
BREVITER EXPONANTUR
OMNES OMNIUM ORDINUM AUDITORES
QVOTQVOT LITERIS FAVENT ET LINGVIS
CIVES ET HOSPITES
QVI
RELIGIONIS DIVERSÆ TURBAS APUD EXTEROS
UNIUS IN PATRIA TRANQVILLITATEM AUDIRE
ET
IN ILLUSTRISSIMUM ORATIONIS COMPLEMENTUM
AUGUSTISSIMI MONARCHÆ
CHRISTIANI V.
PATRIS PATRIÆ VICTORIOSI
TRIUMPHOS PRÆSENTI ANNO ACTOS
CUM ORATORE
LAUDARE AVENT MIRARI STUPESCERE
IN AUDITORIUM SUPERIUS
CRASTINI DIEI HORA XII. MERIDIANA
QVANTO POTEST OPERE INVITAT.
HAFNIÆ DIE XXX. OCTOBR. CIϽ IϽC. LXXVII.

SUB OFFICII NOSTRI SIGILLO.

CA-

CASPARI BARTHOLINI
THOM. F. CASP. NEP.

ORATIO JUBILÆA

In Acad. Reg. Hafniensi publicè dicta Prid. Cal. Novembr. 1677.

IMmortali Deo vota supplicia exſolvo, qvod finita bonis avibus peregrinatione, ex publico hoc loco in præſenti verba facere, Patrum Academiæ Conſcriptorum voluntate ſit conceſſum. Enimvero non facile ſe aliud tempus commodius aperire mihi potuit, qvo de feliciter peracto itinere Deo individuo comiti gratias ex merito agerem, & de temporum horum felicitate,

in qvæ incidi redux, publico mihiqve gratularer. Duxit me Deus per viarum difficultates, per aſpera montium, Alpium juga, etiam Annibali formidanda, per ſylvas Hercinias, per varia deniqve vada, periculo ſuo viatoribus inviſa, &, qvæ Divinæ Majeſtatis benignitas fuit, ſalvum ubiqve perduxit & incolumem. Non qvidem Ulyſſis annos in peregrinatione æqvavi, ſed circumſpecta providentia pauciores abſolvi, non prorſus ſteriles. Sirenum cantus audivi, ſed aures non præbui. Tempora ita diſtinxi, ne ſine fructu transvolarent, & ſemper iſtum cum iſtis calculum poſui, qvem ſolent ſapientes, pre-
tio-

tiosissimarum rerum æstimatores. Peregrinatus sum ita, ut mens tamen semper esset domi suæ, alienarum artium scientiarumqve ita appetens, ut meas non negligerem, Patriæ aliqvando profuturas. Doctorum favores expertus sum, Principum gratiam & munificentiam, omnium amorem, à qvibus ægerrimè divulsus spem redeundi promisi. Nusqvam verba mea periculosa fuerunt, etiam ubi tutæ vix sunt nostrorum cogitationes, velut inter domesticos familiaresqve oberrabant. Vidi Belgium liberum, Galliam officiosam, Italiam florentem, Germaniam masculam; nusqvam patriam extra patriam.

Qvanqvam enim omnia officiorum genera expertus ſim, ingrata tamen videbantur, qvia patriam anhelavi, patriæ deſiderio tactus. Hinc omnia incommoda qvæ peregrinanti devorare neceſſe aliqvando fuit, & pericula, qvæ vel latrones intentarunt, vel natura minabatur, ſpe revidendæ patriæ tranſierunt ſine inſigni moleſtia aut ſuſpirio. Dei beneficio, non meo, tuta ſenſi veſtigia, adeo res magna eſt, ut Stoicus loqvitur, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei. Incredibilis vis eſt animi ad Deum erecti & conſtantis, ad omnem fortuitum caſum retundendum. Nullum telum in

in corpore ejus ſedet; qvia munitus eſt ſolidusqve Dei tutela, qvædam defatigat & velut levia tela laxo ſinu eludit, qvædam diſcutit, & in eos uſqve qvi mittere conantur, reſpuit. Ejusdem Numinis providentiæ adſcribo, qvod nusqvam gentium peregrinos Deos adoraverim, ſed verum, qvem cum lacte materno imbibi, de Deo meo ſenſum, fidem antiqvam, in qva conſcientia acqvieſcit, ſartam tectam retinuerim. Aliorum ſacris ſacrilegas manus non intuli, nec cum Syracuſano Dionyſio, fanum Proſerpinæ ſpoliante, gloriari placuit, aut amicis comitibus acclamare, bonam navigationem ab ipſis Di-

Diis immortalibus ſacrilegis tribui. Habeant ſibi has delicias alii, ut fidem cum climate mutent,& inconſtantiæ fluctibus agitentur, qvibus volupe Deum mutare & religionem ambulatoriam ſectari, ſive dubia mente & deſperata, ſive honoribus blandientibus, ſive deniqve ignotæ mulieris, ad habitum Deæ formatæ, ſpecie aut aſtu, qva Piſiſtratus olim Athenienſes decepit, & Phya vocabatur. Neutiqvam hanc gratiam malam pro gratia ſua Deo gratioſo rependere fas exiſtimo, ut à qvo optima in itinere ſuſcepto recepi, eidem malè dicerem aut obedientiam remitterem, promiſſam, debitam, ſemperqve præſtan=

ſtandam. Malè animatus forem, peſſimèqve meæ ſaluti proſpicerem, ſi Diomedontis exemplo, aliis victoriam, mihi verò damnationem parerem. Tametſi enim debita ſupplicia ſtatim, florentibus in ſpeciem rebus Deum ſuum renegantium, non exſolvantur, cum lento gradu ad vindictam ſui *Divina* procedat ira; tarditas tamen ſupplicii gravitate compenſabitur.

Culpam apud Vos, Auditores, benignè deprecor, qvod itineris mei rationem expoſuerim. Privata qvidem ſunt, publica tamen eſſe volui, ut publicè Deo Soſpitatori vota mea exſolverem, & patriæ meæ teſtarer, qvo animo patrios

trios lares reliqverim, & qvo eosdem repetierim, ut Deo & patriæ ſtudia & pietatem porrò conſecrarem. Optavit ille olim patrios revidere fumos. Mihi verò lucem patriæ & ſplendorem, clariſſime per orbem refulgentem, revidere inter prima votorum fuit. Deo ſit laus, nec votum, nec ſpes me fefellit. Qvo nomine publicè jam Jubilæo hoc die, gaudeo & patriæ meæ dulciſſimæ qvanto poſſum opere gratulatum veni. Magna de patriæ Patre & Rege Auguſtiſſimo publica apud exteros fama ſparſit. Majora illis præſenti occurrunt, poſtqvam pedem huc retuli. Dicere non poſſum aut verbis effari,

qvan-

qvantum apud alio calentes ſole populos Regia Majeſtas prædicetur, qvanta admiratione juſtitiam, pietatem, fortitudinem, victorias, triumphos excipiant, qvanta gentis noſtræ tanti Regis auſpiciis ſit æſtimatio, qvanta gloria Cimbricæ nationi ſuccreſcat ad avitam famam ſurgenti, & fortiter pro patriæ gloria pugnanti. Et qvanqvam non rarò rumores minus clementes ab invidis terrerent, cum nebula tamen diſparuerunt, & metuendum magis, qvam metuentem Danum confirmarunt. De qvo Sclavia, Gothiaqve, terra mareqve victoriis Danorum plenum, plenam fidem fecerunt. Incredibilia ſpar-

gebantur de Regis Auguſtiſſimi virtute & fortuna, qvæ plurimos in ſuſpenſo habebant timidosqve, rediiſſe Romano Imperio fatales hoſtes Cimbros Gothosqve & Langobardos,& in uno Chriſtiano ſpiritum recepiſſe ſpretam hactenus & neglectam Daniam. Mihi qvidem omnia ſe probabant, qvæ de patria præclare Mercurius referebat, haud neſcio calere etiamnum maſculos civium meorum animos & nupera obſidione exercitatos, nec minora miracula, qvæ revera hic patrabantur, à tanto Rege exſpectari poſſe, qvem juſtitia armavit, pietas roboravit, fortitudo confirmavit, omnes Heroum

vir-

virtutes obſidebant. Qvibus elogiis paſſim in orbe, qvem peragravi, prædicatur non mentiente fama. Magna eapropter me ſociosqve voluptas ſubibat, contemplari præſentem patriam, tanto Rege beatam, tantis victoriis illuſtrem, tantis Viris plenam, ex qvo angulo, veluti obſcuro, ille Orbis Borealis terror, Gothiæ horror, cui olim ipſa Roma debuit, qvod capta ſit & deſolata, clariſſima pompa proceſſit. Veteris incommodi memoriam obliteratam vidi, & toto animo contra injurias acceptas luctantem pugnantemqve patriam, qvæ non ita pridem attraxit in ſe ruinam, cui obſtandum

erat, adeoqve verum eſſe docuit qvod ſapientibus creditum traditumqve, iſtud qvod premit, qvod impendet, qvod urget, ſi ſubducere te cœperis, ſeqvuturum & gravius incumbere; ſi contra ſteteris & obnitaris, repelli poſſe. Athletæ qvantum plagarum ore, qvantum toto corpore primo conflictu excipiant, ſuſqve deqve habent, omne tormentum ferentes gloriæ cupiditate & ſpe victoriæ. *Dani* mei ſic qvoqve res rationesqve ſuas compoſuerunt. Evicerunt omnia, qvorum prœmium retulerunt, non virtutem tantum & firmitatem animi, ſed coronam, ſed palmam, ſed nominis ſui prædicatorem

rem tubicinem famam, & pacem porrò ſecuturam, cum non ſemel in variis certaminibus debellata ſit fortuna. Non me præterit, pluſculos Reges, Principesqve principatum ſibi hoc in genere laudis aſſignaſſe: ſed pati debent, obſecro ſi nolint, uno ſe Chriſtiani Regis præcurri exemplo, cui & ipſi, etiam maximi, plurimum honoris debent, qvia beneficio illius effectum eſt, ne timerent omnes, nec omnium præclarum opus unius ſuperbia & dominandi libidine dilaberetur. Mira multa de Regis invicti fortitudine & fortuna, immenſa aviditate foris audivi, ſed cum Regina Schebæ fateri cum admiratio-

ne

ne præſens domi cogor non invi-
tus, de Salomone noſtro: Verum
eſt verbum illud qvod audiveram,
in terra peregrina, de rebus Tuis
& de ſapientia tua, rebusqve ge-
ſtis: tamen non credidi verbis il-
lis uſqve dum venirem, & viderent
oculi mei: ſed ecce, non indica-
tum fuerat mihi ejus dimidium:
ſuperas ſapientia & bonitate & for-
titudine illam qvam audiveram.
Beati homines tui, beati ſervi tui
iſti, qvi ſtantes coram Te jugiter
audiunt ſapientiam tuam. Beati
qvoqve milites, qvi ſub tanti Du-
cis vexillis militant, Teqve præe-
untem ſeqvuntur forti animo & fi-
deli, ut victoriis Tuis interſint. Sit
Je-

Jehova Deus tuus benedictus, qvi delectatus est Te, ut collocaret te in solio patrio, eo qvod diligit Jehovah populum suum in seculum. Ideo imposuit Te Regem, ut exerceres judicium & justitiam, & vindicares Daniam Tuam oppressam vicinorum injuriis. Cœterum in eo paria facere non possum cum Regina, ut aurum, aromata & pretiosos lapides offeram: Neqve enim id sinunt facultates meæ, qvi aureum vellus colchide non inveni, sed vellus purum, membranamqve, qva inscribantur patriæ & Regis laudes, qva consignentur ea qvæ in Arte nostra vel invenerunt alii, vel mihi ad Naturæ sacra admisso patuerunt.

erunt. Siqvidem igitur aurum non habeo, qvod obtulit illa, succedaneum animum substituam, supplicationes pro incolumitate Augusti nostri, fortis, justi, invicti, & subjectissimum obseqvium tanto Principi, qvi parem non habet, nuncupabo. Rerum maximarum pretium, in ipsis est, virtusqve magnifica nec lucro invitatur, nec absterretur damno, sed contra se publico impendit, & calcatis donis se periculis subjicit, ut si qvid obvenerit commodi, inter accessiones alii numerent. Nobis patriæqve pro lucro reputamus Augusti victorias, triumphos, pericula in felicissimis expeditionibus susce-

pta, & grato animo agnoſcimus beneficia populo Danorum collata & famæ immaculatæ redintegrationem. Diffundant ſe eruditorum lingvæ & pennæ in Regis Auguſtiſſimi laudes, & priorum annorum res geſtas deſcribant, qvi majori eloqventia pollent. Ego temperare mihi non poſſum, cui feſto hoc Jubilæo dicendi partes demandatæ ſunt, qvin breviſſimè percurram, & grato devotoqve ac lætitiæ pleno animo, recolam anni hujus, qvem jam terimus, hiſtoriam Regisqve inclyti expeditiones, & patriæ felicitatem, ut hoc, cum eodem anno ſeculi prioris, cujus pariter res memoria dignas ſtri-

ctim recensebo, Ecclesiæqve & patriæ statum exponam, collato, innotescat Orbi, qvam justam habeat Academia patria causam, ut Jubilæa oratione celebretur secularis hic annus, præsensqve in exemplum lætitiæ ab omnibus, qvi patriam amant, qvi Regis Augusti merita æstimant, solenniter colatur, justiorem verò, si alteri hanc spartam commisisset. At qvandoqvidem ita visum Patribus Academiæ, ut mihi nuper reduci, postqvam vix pœnulam deposuerim, Oratoris partes demandarentur, meiqve officii sit, tantorum Virorum, qvos ex merito veneror, voluntati parere, certior ero de illo-

lorum favore, &, si illis placuero, de omnium applausu. Favete, Auditores, balbutienti Oratori, & si Orator se minus dicendo commendaverit, materiæ tamen, qvam proponet, dignitate gratus erit, & diei solennitate probatus.

Imitabor verò mores peregrinantium, qvorum recens est mihi memoria, qvi aliena in itinere prius sectantur & curiosis oculis lustrant, qvam qvæ in patria post se reliqvere. Nec minus mihi curæ erit pictores seqvi, qvi artis suæ daturi specimina, in Deorum imaginibus, illorumqve fabulis penicillum fatigant, domesticarum rerum negligentes. Certus tamen sum,

& vos, Auditores, ſecuros eſſe jubeo, ſi peregrina, qvæ alibi anno ſeculari noſtroqve præſenti geſta & acta, propoſuero atqve cum patriæ rebus conferantur, minora fore & viliora qvam ut principem locum à nobis mereantur. Videbitis enim Eccleſiam hic pacatiorem, Rempublicam florentem magis & rebus præclaris illuſtriorem. Ne patriæ amore occœcatus videar, advocabo peregrè Germanorum Gallorumqve Eccleſiæ turbas, ut in qvieto patriæ Eccleſiæ ſtatu tandem reqvieſcam & Jubila canam.

Dolendum ſanè diſſidia Eccleſiarum nec ibi nec illic deſiiſſe anno

ſeptu-

ſeptuageſimo ſeptimo ſeculi præcedentis, nec in unum coaleſcere potuiſſe corpus, qvod unum caput agnovit, Jeſum Chriſtum. Nunqvamne ergo Chriſtianus Orbis qvietus erit? Semperne in cæde & ſangvine verſabuntur Chriſti Servatoris ſangvine redemti, & tam preciosum λύτρον variis diſſidentium opinionibus in prædam cedet? Ergone Chriſtianismus ſe habet inſtar Chamæleontis aut verſatilis cothurni, ut tot ſint religionis formæ fingendæ, qvot capita illorum, qvi variis opinionibus qvaſi ſoluti legibus dominantur, & ſtultitiam ſuam ſapientiæ larva tectam mundo propinant, neſcio qvibus Circæis

cæis poculis faſcinati. Aliter ſentire deberent, qvi Chriſto nomen dederunt, ne eadem illis inſtrumenta litium, convitiorum, diſſidiorum & ſchismatum fierent, qvæ ſalutis eſſe debebant. Ita qvieta piorum felicitas turbatur, tranqvillitas evertitur, & amittitur veri Numinis cultus ſecura poſſeſſio. Litigant aliqvi de nomine, alii nimia religione ex muſca elephantum faciunt, & neminem admittunt probantqve, niſi iisdem ſenſibus ritibusqve emancipatum. Ingens controverſia vocabuli *Abſtracti* Heshuſio uſitati Boruſſiam turbavit, & qvanqvam mentem ſuam Heshuſius candidè explicaret, benigneqve

a The-

a Theologis aliis Germaniæ inter-
pretatio nominis exciperetur, im-
petrare tamen gratiam ſcriptæ ſe-
mel vocis à Wigando Collega non
potuit, qvin loco moveretur &
Epiſcopatum Sambienſem amit-
teret, qvia publicè revocare ſen-
tentiam renuebat, nullius ſibi erro-
ris conſcius, qvanqvam locutio-
num minus circumſpectarum &
incommodarum, qvæ præter vo-
luntatem animo minus attento ex-
ciderant, correctionem promitte-
ret, & ad qvorumvis candidorum
in Germania Theologorum cen-
ſuram provocaret. Uterqve er-
ravit, qvantum ego qvidem per-
ſpicio, hic nimio rigore & in fra-

trem

trem odio, ille facilitate odiosæ & controversæ vocis, & animi obsti-nati perseverantia. Neutrum The-ologo dignum, qvi & lapsus con-donare debet, & scrupulosas locu-tiones sponte monitusqve emen-dare, ut publicum scandalum evi-tetur. Adeo difficiles sunt mor-tales in condonando, promti faci-lesqve in carpendo, & alii fortunis suis malunt excidere, qvam errores revocare, etiam in syllaba com-missos. Melius Wigandus consci-entiæ suæ consuluisset, & Heshusi-us qvieti, si qvam de voce abstracti litem sibi moverant, ab odio & obstinatione abstracti, fraterna concordia sopire in animum Chri-

stianum

ſtianum induxiſſent. Adeo ſerio Orbi Chriſtiano dolendum, reſtaurata Chriſtianiſmi tempora ex minimis qvandoqve proximum flagellare, cum ubiqve oſtentetur multum ſcientiæ, conſcientiæ parum. Litium ferax eſt ſeculum, ſed pietatis ſterile. O utinam ſepoſitis vocum litigiis, pietati magis ſtuderemus, qvam oſtentationi, fugientemqve terris pietatem & amorem retraheremus. Erudire præſtat moribus Chriſtianis, qvàm morbis animi, qvi lædunt illum qvem occuparunt, & alios velut faſcino inficiunt. Alia via in religionis negotio qvi graſſantur, nihil profectò aliud faciunt, qvam De-

um docent qvomodo ipſos debe-at verbo damnare. Qvid prode-rit de Deo, de Operibus ejus, de Chriſti majeſtate & ſalutari myſte-rio, ſacramento, alto diſputationis fervore immergi, ſi pietate deſti-tuti displiceamus Chriſto? Non in verbis tantum ſed factis conſiſtit ſa-lus religionis, cujus ſumma eſt, imi-tari Chriſtum manſvetudine, qvem colimus fide. Male vivitur, ubi de Deo non bene creditur: ſed inutiliter qvoqve creditur, ubi non bene vivitur. Vera fides non eſt interius, ubi opera non apparent exterius: Chriſtiani enim non ſunt, qvi non dignam Chriſtiano vitam agunt.

Dum

Dum de voce ſerram contro-verſiæ ducunt Boruſſi, de re ipſa Galli decernere inſtituerunt, in-dictis Blæſenſibus Comitiis, qvibus decretum factum de una religione in Gallia retinenda contra datam aliàs Proteſtantibus fidem & libe-ram exercendæ in regno religionis poteſtatem, ſalva tamen manente Proteſtantium vita & bonis ſalvis, qvi domi manerent. Iniqvum viſum edictum, & contra conceſſas à Rege non ita pridem immunita-tes, pacemqve publicam. Hinc delegati ab ordinibus expediuntur ad Navarrum, Condæum & Anvil-lium, alii ad Germaniæ Palatinos, ut propoſitæ concluſionis juſtitia ſi-

ne magnis turbis approbaretur. Ipse Rex Galliæ minime ignarus malorum, qvæ revocato edicto & accenso semel bello secutura essent, præcipuorum Consiliariorum sententias exqvisivit, qvi qvidem majorem propriæ utilitatis rationem habuerunt, qvam regiæ authoritatis regniqve qvieti. Ordinum enim petitionem, ut jam concessam, miris laudibus extollebant, & de ratione belli gerendi disserebant. Prudentissimus ille, qvod consilia aliorum præferret suo, & aliena sapientia uteretur, ne suam suspectam populo orbiqve redderet. At diversum fuit aliorum de hoc concilio judicium, & mo-

tus

tus animorum prorſus diverſus, qvi memoriam in ea, qvæ maximè expediebant publico, ſpargebant. Navarræus enim, ad qvem Viennenſis Archiepiſcopus miſſus fuerat, & ipſum nomine Ordinum, ad comitia invitaverat, ad conſtituendam religionis unitatem adhortatum, prudenter ſvaſit, providendum illis eſſe, ne qvod à Rege peterent, ut una tantum religio in regno Galliæ toleretur, eorum deſiderio minus reſpondeat, & qvam periculoſum ſit aſſerere, Regem fide Proteſtantibus data non obligari, nam inde effectum iri ut aliqvando pacis firmandæ rationes etiam à volentibus maxime, expe-

diri

diri neutiqvam possint. Nec aliter respondit Anvillius, à Legatis Monspessuli deprehensus; vereri enim se ne intempestivo remedio malum potius irritetur, qvam sanetur: proinde etiam atqve etiam orare ut eas causas pro prudentia sua examinent & maturè in commune consulant: tot præteritarum calamitatum documento constare ostendens, relligionem à Deo inspirari, ab hominibus imperari non posse: Proinde se, qvi cum omnibus bonis ad calamitatum præteritarum recentem adhuc sensum cohorrescat, non posse non commoveri, cum audiat rem toties infeliciter tentatam tunc denuo retractari;

ctari; nam post ultimum edictum cunctis constitisse, ad pacem in regno tuendam duas religiones commodè tolerari posse, nec proinde nisi periculoso exitu fidem edictis datam revocari. Nihil temporibus illis accommodatius proferri potuit, nihil in omni republica conservanda utilius. Nisi enim Princeps datam semel fidem servet, & jusjurandum sanctum habeat, perit qvoqve subjectorum fides, & obedientia, qvam in negotio religionis maximè exposcunt devoti civium animi, qvi ad aras dominis suis obstricti censentur. Unio inter principem & subjectos nulla re magis qvam fide coalescit,

qva

qva magnus fit ille, hi ſecuri degunt, ſi ſecuri ſint à proprio domino. Benè Q. Marcius olim ad Perſem Regem, favere pietati fideiqve Deos, per qvæ populus Romanus ad tantum faſtigii venerat. Ageſilai Spartani Regis exemplo & dicto liqvet, qvantum precii ſit ſtatuendum fidei datæ. Cum enim is exercitum in Aſiam trajeciſſet contra Regem Perſarum; Tiſſaphernes ſummus ſatrapa imparem ſe viribus videns, & celeritate præventum, fallere per ſpeciem fidei qvæſivit. Itaqve de induciis cum Ageſilao egit, obtinuitqve trimeſtres, qvas ipſe qvidem Ageſilaus optima fide ſervavit, ſed alter bel-

bellum ſumma vi comparavit. Qvod ubi Ageſilaus ſenſit, nihil exinde fertur turbatus, imo multum ex eo ſibi lucri promanaſſe dicebat, qvod Tiſſaphernes ſuo perjurio & homines alienaret & Deos redderet iratos: utrumqve in ſe aliter eſſe, qvod & milites fidentiores redderentur, Deorum ope fiſi, & homines amiciores, qvi iis fere ſtuderent, qvos conſervare fidem viderent. Dominorum fides erga ſervos pari paſſu ambulat, ut, qvod illi non præſtant his, hi illis ſervare nolint. Hinc laudem meretur Centurio ille Cæſaris, qvi captus in mari Africo, militare Scipioni, aut ſacramentum Cæſari da-

tum mutare, nec minis nec precibus adduci potuit: pro ſummo qvidem beneficio Scipioni gratias egit, qvi vitam offerret belli jure capto, ſed illi beneficio, qvia ſcelus conjunctum eſſet, non utebatur, neqve enim fidem hoc permittere neqve virtutem. Non plebeia hæc virtus eſt, ſed regia maximè, & Regibus propria eſſe debet, qvi proximè ad Deum fidei tenacem accedunt. Hinc regia prorſus fuit Franciſci Regis, qvi Henricum præceſſit, clauſula in conventu Procerum celebri, cum exprobraretur illi fides Carolo Qvinto ſervata: etiamſi, inqvit, fides toto Orbe exſularet, tamen Regibus tenendam

dam esse, qvi ea sola, & nullo metu, cogi adstringiqve possent. Mirum vero religionem intercedere & prætendi, ut fides publicè data violetur, cum illa id unicum urgeat, ut fide in Deum & charitate in proximum constantes simus. Pagano fidem servandam qvis negaverit? Bone Deus! deteriorne erit conditio hominis Christiani, qvanqvam ab alio in nonnullis diversum sentiat. Majoris incommodi vitandi causa duas religiones tolerari posse, multis & rationibus & exemplis demonstrarunt Galli Protestantes, qvibus qvid opponi poterit non video, nec viderunt Reges ipsi, qvi id ad hunc diem permiserunt,

runt, ſicut & in Imperio Germani-
co Carolus Qvintus, & qvi illum in
ſolio ſeqvuti ſunt Imperatores
idem neceſſariò conceſſerunt.
Oculos ad florentiſſimum Belgium
fœderatum reflectite, ut variarum
religionum miſcela oſtendat, non
turbari Rempubiicam, ſed augeri
& ad maximum vigorem efflore-
ſcere. Vivunt religione diverſi,
non animo, non voluntate in com-
mune bonum conſulendi, & qvod
deliqvium paſſa eſt reſpublica, non
ex Religionum diverſitate ortum,
qvæ amicè inter ſe conſpirant, ſed
potentiſſimi hoſtis inſultu. Expen-
dite Otthomannorum potentiam,
qvæ multitudine religionum, qvæ
libe-

liberæ permittuntur, caput effert in Orbe. Polonorum eadem prudentia eſt, ut tolerent eos, qvos ſine Reipublicæ ruina expellere non audent. Monentibus tamen Politicis aurem præbere convenit, qvi non facile in Republica benè conſtituta immutandum aliqvid concedunt, ſed ſi vigeat una religionis confeſſio, eam ſervandam, ſi pluribus aſſveverunt cives, non turbandos, ſi ipſos ſe non turbent, aut publicum commodum intervertant. De his tamen plura verba non faciam, nec in re tam ſeria judicium mihi ſumam, ne mihi objiciatur, qvod Photeæ Rhetori contra Alexandrum Magnum per-
oranti

oranti objectum fuit: audesne juvenis de tam magnis rebus loqvi. Audiamus potius Principum in Germania responsum legatis Gallorum datum circa hoc negocium religionis, cujus in gratiam Blæsis comitia celebrata sunt: Germaniam scilicet cum non nisi edicto de pace religionis à Ferdinando Cæsare constituto, à tot belli calamitatibus & vastitatibus reqviescere potuerit, documento Regi Galliæ esse debere, si pacem habere velit idem ut in suo regno faciat, alioqvin turbas in regno nunqvam defuturas: Periculosissimum autem esse, qvod Rex, cujus officium est instar boni Patrisfamilias, omnes suos

ſuos cives æqvali jure complecti, ſciſſo factionibus regno, oblitus fidei datæ, alteri parti ſe præbeat: Non ſatis eſſe qvod Rex Proteſtantibus conſcientiarum libertatem relinqvere velit, adempta tamen libera ac publica religionis ſuæ profeſſione, nam perinde facere, ac iis qvibus vitam ſalvam promiſiſſet, poſtea ad victum neceſſaria denegare. Ita qvidem rectè moderatorum conſiliorum amantes Germani Principes cenſuerunt, & hoc nomine laudandi, qvod amicorum Chriſtianorum in Gallia periclitantium cauſam egerint. Id enim charitate ducti facere tenebantur, ut conſilio qvocunqve, &,

ſi opus, auxilio, laborantibus ſub-
venirent, & ad fidem qvietemqve
Gallum hortarentur, ne malum ibi
exortum ad ſe malo contagio pro-
pagaretur.

Singulare circa hæc tempora
eorundem Principum Germaniæ
& Theologorum fuit concordiæ
ſtudium. Qvo omnes curas co-
gitationesqve converterunt, ut re-
cepta approbataqve fidei Augu-
ſtanæ confeſſio, immutata perma-
neret. Natus hinc Liber, qvem
Formulam Concordiæ vocarunt,
multorum ore ſcriptoqve celebra-
tus, à Wurtenbergicis Theologis
primum conceptus, mox ab Augu-
ſto Electore in Conventu Tor-
genſi

gensi secundo Theologorum Brunsvicensium, Megapolitanorum & Wurtenbergicorum ope confirmatus, demum jussu ejusdem Electoris in cœnobium Bergense prope Magdeburgum convocatis sex Theologis, Jacobo Andreæ, Selneccero, Cornero, Chemnitio, Chytræo, Musculo, ultima manu completus, & tandem in Colloqvio Herzbergensi, Jeverensi, Sangerhusano, à plerisqve subscriptus. Judicia qvidem diversa expertus est iste conatus, sed sancto concordiæ titulo laudatus cum autoribus, qvi placido spiritu animati ad concordiam sepositis rixis flectere tentarunt Doctores in communi Evan-

gelii luce. Cum vero pleriqve in Germania emendatioris doctrinæ præcones autoritate Principum suorum ſubſcripſiſſent, Eccleſiæ Daniæ, itemqve per Germaniam non paucæ, aut litium immunes, qvibus ſopiendis concordia qværebatur, aut ſola in Auguſtana Confeſſione acqvieſcentes ſubſcribere detrectarunt, à dogmatis tamen formula illa comprehenſis neutiqvam alienæ. Maluerunt qvippe in patria noſtra Theologi, concordi animo & fide vivere, qvam de concordia multa ſcribere. Qvis non miretur illorum prudentiam placidamqve mentem, qvi ſemel agnitæ veritati placidè acqvieſcere

cere malunt, qvam vel novas lites fovere, vel concordiæ novæ subscribere, ne ullam de se discordiæ suspicionem Orbi præbeant, nam si in pace & concordia renovanda socia contulissent consilia nostri, etiam dissidiorum ante viderentur fuisse participes. Excusant alii Daniæ Regem Theologorumqve Danorum ad subscribendam formulam Concordiæ tergiversationem, qvod ipsis tunc ad subscribendum transmissus non fuerit, utpote qvia Germani hunc sibi præfixum habebant scopum, ut aliqvorum doctrinæ, à recepta alienæ, variis artibus & technis irrumpenti in Germaniam resisteretur. Hinc Re-

gis Daniæ ſubſcriptionem omitti absqve præjudicio potuiſſe, cum aliis mediis ſuo regno in fidei ſuſceptæ unione proſpicere valuerit. Vera cauſa, niſi fallor, iſta fuit, qvod immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti Dania noluerit. Qvieta res erat ipſis Danis religio, qvam diſputationibus novisqve formulis inqvietare ex uſu publico non putarunt noſtri. Semper enim ſuis rebus bonisqve gaudere ſolent, nec facile ad alia digrediuntur, ſi ſui boni poſſeſſione frui liceat. Concordia animis illorum inſcripta, non libris, non peregrinis formulis, qvæ ſæpe pro cujusqve turbulenti cerebro varias figuras induunt,

unt, & publicum è ſtatu tranqvillo detrudunt.

Dania illa eſt mea, qvam hoc nomine laudo, qvod inter diſſidentium Gallorum Germanorumqve concertationes domi ſuæ ſecum habitarit, in Deo ſuo acqvieſcens, Fridericus Secundus, rerum tum potitus, pacis amore præluxit,& de æternitate qvieta cogitans orbi reliqvit familiæ æternitatem. Enimverò ea fuit anni hujus ſecularis felicitas, nullis faſtis ſilentio prætereunda, ut Orbi Patriæqve naſceretur Chriſtianus, nomine Qvartus, re immortalis, ad cujus memoriam obſtupeſcit animus, torpet calamus, deficiunt vires Orationis ſu-

ſce-

ſceptæ, & ſilentium cogitanti obrepit, qvem Annales loqvuntur, res geſtæ æternitati conſecrant, patria veneratur, orbis admiratur. De qvo præſtat tacere qvam pauca loqvi, cum tantus fuerit ut penna mea exili capi non poſſit, etſi non tam fortunam ſenſerit ubiqve propitiam, qvam virtutem animiqve magnitudinem ubiqve habuerit verè Regiam, & ſupra mortales alios eminentiſſimam; tamen infra ſe fortunam ſprevit, virtute, pietate, juſtitia, & fortitudine involutus, qvam ad glorioſos canos ſervavit, & ad poſteritatem noſtram meritis illius obſtrictam propagavit. Tanti Borealis Orbis Herois Nativitas

ex-

exoptatiſſima annum hunc prioris ſeculi nobilitavit & illuſtriſſimum reddidit, qvæ hodierni Jubilæi argumentum foret, niſi alia præoccupaſſent calamum Oratoris veſtri. Sola tamen digna eſt, qvam læto animo & memoria devota hodie recolamus, qvod ex hac luce Rex immortalis Daniæ glorioſos annos orſus ſit. Auguſti olim natalem Eqvites Romanos ſponte atqve conſenſu, biduo ſemper celebraſſe, Romanorum Hiſtorici tradunt. Qvidni nos non juſſi aut rogati, Divi Chriſtiani Qvarti natalem celebremus, qvi Auguſto æqvari omni jure poteſt, late imperans & ad Indiam usqve protendens regios

faſ-

fasces, bello & pace magnus: Hoc namqve intermissum nunqvam fuit apud Romanos, rerum dominos, nisi ignominiæ causa. Hinc Tiberius Agrippinam criminosissimè insectatus diem ejus natalem inter nefastos referendum suasit. Non tam ingrati esse volumus in Regem tam præclare de Patria & Ecclesia meritum, sit potius Regis tanti, ut

Cæsaris alma dies & luce sacratior illa,
Conscia Dicteum qva tulit Ida Jovem.

Lucet hodieqve velut in orbe suo, Christiani Divi sidus, & nos oblivionis reos perageret, si omissa Natalis hujus celebritate sileremus.

Ca-

Caligula olim Consulibus oblitis de Natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitqve per triduum sine summa potestate Respublica. Ne nobis exprobret eandem ignaviam vel oblivionem Divus Christianus, dicavimus illius meritis natalem hunc secularem annum, non magno apparatu antea insolito, non editis tota urbe vicatim gladiatoribus, non exstructis in campo Martio aris, lætis fœdissimo cuiqve, apud bonos invidiosis, qvemadmodum natalem Vitellii Cæcina ac Valens celebravere, non victimis publicè cæsis crematisqve, non ludis Circensibus aut venatione, sicut Augusti natalem Julius Augusti fi-

lius, tum Prætor, celebravit, non epulis in Capitolio hoc nostro: sed æterno chartarum monumento, qvo qvicqvid ex Christiano amavimus, qvicqvid miratus est Orbis, manebit, permansurumqve est in animis Danorum, in æternitate temporum omnium.

Dolendum verò felicem hunc Christiani Regis nascendi annum sine cæde & sangvine transire non posse. Abstinebant qvippe veteres nonnulli in Nativitate Minervæ celebranda sangvine & ferro. Non tamen exemplo priorum caret natalis cruentus. Ita Phyllide ad Natalem Mæcenatis celebrandum à Flacco invitata, ara castis vincta ver-

benis avebat immolato ſpargier agno: & cum Alexander Severus natalem diem commendaret, hoſtia cruenta effugiſſe narratur, &, ut permixtus populo erat, albam ejus veſtem, cum qva conſtiterat, cruentaſſe. Deo ſint gratiæ, qvod Minerva noſtra natalem Chriſtiani Qvarti annum ſine cæde recolat, qvanqvam vicinia omnis cruore humano madeat. Beneficium hoc omne Nepoti tuo, Dive Chriſtiane, referimus acceptum, qvem in ſolio tuo Regio ſedentem hodieqve veneramur, æterna laude florentem, virtutiqve tuæ gloriæqve ſimillimum Regem, ſed fortuna majorem. Viderunt majores noſtri

cunas Tuas anno hoc ſeculari, & vagientem in illis Herculem: at maſculum adultæ ætatis & fortitudinis robur Nepos Tuus Chriſtianus Qvintus, hoc, qvem decurrimus, anno, patriæ ſuæ & Orbi univerſo oſtendit, hoſtibus formidandus, Daniæ ſalutaris. Hinc ingens Jubilæi noſtri ſplendor naſcitur, qvo ad animum revocamus, qvæ Dei Omnipotentis auxilio, virtute & fortitudine ſua Auguſtus hic noſter, qvem nobis Divina providentia & benignitas conceſſit, præclara geſſit, annalibus celebranda. Non patitur anguſti temporis menſura, mihi conceſſa ad dicendum, ut altius hic repetam priorum anno-

rum

rum expeditiones tanta felicitate cœptas & peractas, ut nemo mortalium inventus ſit, niſi invidiæ oeſtro percitus, qvi non obſtupuerit ad Regium Chriſtiani Qvinti nomen. Non diſpari facie fortuna Chriſtiani Auguſti, hujus anni decurſum beavit, qvam in lætitiæ hodiernæ augmentum breviſſimè commemorabo, grata in Deum & Regem memoria, læto finiti itineris condimento, & illuſtriſſimo Orationis ad exitum properantis ornamento.

Qvamprimum ſe finita hyeme Scaniæ iterum exercitu benè inſtructo intudiſſet patriæ vindex Chriſtianus, adventu ſuo terruit ho-

hostem & retrocedere coëgit, qvi libera hyberna per Scaniæ provincias habuerat, & Urbem munitissimam Christiano-stadium obsidione diuturna constrinxerat, qvæ hostis minas intrepidè perpessa, Regis sui adventu, metu liberata fuit & obsidione. Hinc recollectis viribus recurrens hostis, varia tentare videbatur, sed irrito conatu, nec impedire potuit Malmogiæ oppugnationem, qva demum à nostris sponte & deliberato consilio soluta, cum fefellissent pontes & hosti propinqvo esset obviam eundum, prœlio cruento inter se commissi exercitus æqvo Marte discesserunt, Danis hostium multitudi-

nem

nem animo æqvantibus, & Christiano Rege tam Ducis qvam militis partibus fortissime defungente. Interea duplici prœlio navali superior Danus, classe hostium formidanda & qvæ ruinam Daniæ minata fuerat, profligatâ, captâ, dissipatâ, Mare Balthicum sibi asseruit, & Provincias omni metu liberavit, qvamqve perniciem igne & ferro destinaverat hostis nostris oris maritimis, convertit Deus per fortunam Regis in hostium viscera: Victrix enim classis Danica littora Svecorum invasit, Oelandiam vastavit, cum pacisci de tributo nollet, Calmariæ campos infestavit, multos mortales cum pecore atqve

alia

alia præda cepit, ædificia ſplendida incendit, multa loca hoſtiliter acceſſit, & injurias ſuas manu intrepida vindicavit, jure ſuo & belli uſa. Nec ſegnior fuit in Norwegia Chriſtiani Regis fortuna, & per Gyldenlovium anni felicitas. Bis enim profligatus in Gothiæ finibus hoſtis inſigni clade, Mareſtrandium inacceſſum viriliter expugnatum, Jemtia recuperata, omnia cœtera ex voto ſucceſſere. Nupera in Rugiam expeditio victoriis hujus anni complementum addidit, vel hoc nomine clariſſima, qvod Regem incolumem, inter tanta pericula tempeſtatis, ad urbem ſuam plenum triumphis reduxerit.

Plenus annus victoriis triumphisqve Regem ſalvum lauroqve illuſtriſſimum ſibi gratulatur, & patria inter ſumma reputat, Regem talem videre, qvem fortuna famaqve omnium oculis expoſuere. Agnoſcite mecum, Auditores, anni hujus Jubilæi ſplendorem, & læti vota multiplicate, qvod aucta ſit patriæ gloria, familia Auguſta nata Principe creverit, Rex innumeris triumphis redux, patriam pietate & juſtitia regat, cives concordes pro Deo & Rege pugnare parati ſint, & antiqvum Cimbrorum decus ſibi aſſerere. Ego, qvanqvam privatas lugendi cauſas habeam morte Aviæ meæ deſideratiſſimæ, cujus octua-

gesimum qvartum annum agentis funus hisce diebus defleo, pullatus & mœrore lassus: publica tamen felicitate excitatus, gaudeo qvanto decet bonum civem opere, qvod omnia salva nobis hactenus conservaverit immensæ bonitatis Deus, Regem Augustissimum clementem, Mæcenates benignos, Patres Academiæ salvos, cives pios & fortes, utramqve Rempublicam incolumem, patriam deniqve florentem & ad invidiam usqve celeberrimam. Augetur publica mea lætitia, qvod Academia hæc regia, cujus partem me gratus agnosco, Rectorem habeat Wormium, Patre magno Majorem filium, Professores

Amplissimos, ex qvorum sapientia & doctrina tantum proficimus, qvantum æstimari non potest, interqve eos Parentem meum honorandum in senio adhuc florentem, & publico suisqve superstitem. Ultra mortale gaudium æstimo, qvod Ecclesia nostra cum Doctoribus reverendis sine discordiis, sine concertationibus, sine schismatis, concordi animo piaqve mente Deo litet, & qvam concordiam anno seculari amaverat, eandem hodieqve Dei gratia conservet. Det Deus porrò Regi Augustissimo vitam, victorias, triumphos: Magno Regis Cancellario & Patrono Academiæ Illustrissimo Comiti Friderico ab

Ah-

Ahlefeld felicitatem optatam: Academiæ Patribus ſalutem meritam, civibus vota ſua, omnibus bonorum perpertuitatem, mihi deniqve, qvi ad docendum in Academia majorum Authoritate accingor, & bono omine, fauſto lætoqve hoc feſto cœpi eſſe diſertus, ſingulorum favorem, amorem, ut qvo me Præceptorum doctrina, Patris exemplum & Avi, genius non invitus, propria induſtria & labor publico addictus vocaverit, Deo conatibus benedicente, felici pede progrediar in Dei Optimi maximi honorem, patriæ Academiæ Orbisqve literati commodum, Artis noſtræ famam & exiſtimationem. Voto veſtro me ſublevate, applauſu dignemini, mecum Pæana canentes.

DIXI.

CB